Die digitale Landesbibliothek Oberösterreich

oö landes bibliothek

Terms and Conditions

The Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Library.

Each copy of any part of this document must contain there Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept there Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Library

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

Imprint:
Director: Mag. Renate Plöchl
Deputy director: Mag. Julian Sagmeister
Owner of medium: Oberösterreichische Landesbibliothek
Publisher: Oberösterreichische Landesbibliothek, 4021 Linz, Schillerplatz 2

Contact:
Email: landesbibliothek(at)ooe.gv.at
Telephone: +43(732) 7720-53100

fr. m.

uiuum loquebatur. Et apprehendens eum petrus cepit increpare eum. Domine propicius esto tibi. Nam hoc non erit. Qui conuersus et uidens discipulos suos comminatus est petro dicens. Vade retro sathana quoniam non sapis ea que dei sunt sed que hominum.

Matheus autem hec plane prescribit. Orig. Vel quia marcus et lucas scripserunt petrum respondentem tu es christus non adiacentes quod positum est in matheo filius dei uiui, non propterea non scripserunt ad confessionem relatam beatitudinem. Sequitur. Et comminatus est eis ne cui dicerent de illo. Theophil. Volebat enim suam gloriam occultare ne multi scandalizarentur de eo et pena incurrerent maiorem. Crisostomus. Vel ut tunc scandalo crucis completo purum infigeret fidem in mente eorum. Post enim passionem perfectam consequenter assertionem dixit eis. Euntes docete omnes gentes. Theophil. Postquam autem dominus confessionem discipulorum acceptauit ipsum christum uerum deum: tunc ipsis reuelat causas misterium. Unde sequitur. Et cepit docere eos quoniam oportet filium hominis multa pati et reprobari a senioribus et a summis sacerdotibus et scribis et occidi et post tres dies resurgere. Et palam uerbum loquebatur. scilicet de futura passione. Non intelligebant discipuli ordinem ueritatis nec resurrectionem complecti poterant, sed putabant esse melius quod non pateretur.

Crisostomus. Predixerat tamen hec eis eo de hac occasione ut ostenderet quod oportet post crucem et resurrectionem christum a testibus predicari. Nunc petrus existens feruidus solus de his sumit audaciam disputandi. Unde sequitur. Et apprehendens eum petrus cepit increpare eum. Domine propicius esto tibi non erit tibi hoc. Beda. Hoc amantis affectu et optantis dixit. Quasi dicat hoc non potest fieri nec recipiunt aures mee ut dei filius occidendus sit. Crisostomus. Quid est autem hoc quod petrus cum reuelatione patris potitus erat sic uelociter cecidit et instabilis est effectus. Sed dicimus non esse inconueniens sic ignorasse qui de passione reuelationem non acceperat. Quod enim christus filius dei uiui esset reuelatione didicerat. Misterium uero crucis et resurrectionis nondum ei fuerat reuelatum. Ipse uero ostendens quod oporteret eum ad passionem uenire: petrum increpauit. Unde sequitur. Qui conuersus et uidens discipulos suos: comminatus est petro dicens. Vade retro me sathana. Theophil. Dominus namque uolens ostendere quod propter salutem hominum debebat eius passio fieri et quod solus sathanas christum pati nolebat ut genus non saluaretur humanum: petrum sathanam nominauit, eo quod saperet que sunt sathane, nolens christum pati, sed aduersarius eidem. Sathanas enim aduersarius interpretatur. Crisostomus. Demoni autem ipsum temptanti non ait. Vade post me. Sed petro dicit. Vade retro me. id est sequere me et uoluntati mee passionis consilio non resistas. Sequitur. Quoniam non sapis ea que dei sunt sed que hominum. Theophil. Que hominum sunt dicit petrum sapere, secundum quod affectiones carnales quodammodo sapiebat. Volebat enim petrus quod sibi christus prestaret requiem et non crucifigeretur. Beda.

Et conuocata turba cum discipulis suis dixit

Postquam discipulis misterium sue passionis et resurrectionis ostendit: hortatur eos una cum turba ad sequendum sue passionis exemplum. Et quo.